

## De interpretatione Novi Testamenti Græci in superioribus Gymnasiolorum ordinibus.

Erunt, qui mirentur, quod scholae nostrae annalibus praefaturus argumentum mihi elegerim tractandum, quod potius theologorum sit in academiis. Sed hos spero, si ex me audierint, qui factum sit, ut in hanc praecipue rem inciderim, facile esse concessuros, eam a me haudquaquam esse alienam. Quum enim mihi abhinc multis annis provincia evenisset, ut superiorum ordinum discipulis religionis praecipua exponerem, fieri non potuit, quin ad rem, cui primum hujus disciplinae locum dare non dubito, acriter intenderem animum meum. Neque quisquam tamen velim putet, voluisse me, quum ad scribendum me darem, docentis partes suscipere, a qua arrogantia absum plurimum. Solum, quae usu multorum annorum edoctus in rem esse cognovi, proponam, ut cum aliis ea communicem et ad rem tanti momenti diligentius pervertigandam excitem. Spectavit igitur in his scribendis consilium meum minime ad id, ut res novas et incognitas explorarem exploratasque in lucem proferrem, sed hoc fuit solum mihi propositum, ut collatis, quae mihi videantur esse leges interpretationis primariae, iisque breviter explanatis, exemplis aliquot, qua ratione illae sint in rem nostram accommodandae, exponerem.

Primum quidem statuimus Scripturam Sacram fontem esse, a quo manare debeat omnis de religione doctrina, quippe quae contineat aeternae veritatis certissimam revelationem. Inde igitur repetierunt veri Jesu Christi confessores et cultores omnium temporum perpetuam juris doctrinam, virtutis sacra praecipua, excelsa hujus futuraeque vitae promissa, et sicut Christus ipse ad Scripturam Sacram provocavit, ut qua teste uteretur, ita evangelica nostra ecclesia delegat ad verbum Dei in S. S. revelatum ut summam atque unicam normam et regulam, unde fit, ut ei tribuamus auctoritatem normativam, qua sola definiat, quae sint ad veram salutem necessaria, judiciale, qua sola dirimat pugnantium de religione lites, perspicuitatem, qua quae pertineant ad salutem illam ad omnium ingenium accommodatissime exponat, sufficientiam, quatenus omnia continet, quae ad consequendam sempiternam felicitatem spectent, efficacitatem, qua ad instituendos, corrigendos, tranquillandos hominum animos maxime sit idonea. In scholis autem, in quibus linguae, quas vocamus classicas, primum teneant locum, libros in lingua, qua primitus scripti sint, esse legendos, nemo est qui neget; neque minus universam doctrinam Christianam cum literis illis artissime esse conjunctam. Quanti id fecerit Lutherus noster intelligimus ex his: Ego persuasus sum, sine literarum peritia prorsus stare non posse sinceram theologiam sicut hactenus, ruentibus et jacentibus literis miserime et cecidit et jacuit. Quin video nunquam factam fuisse verbi Dei revela-

tionem nisi primo, velut praecursoribus baptistis, viam pararit surgentibus et florentibus linguis et literis. Verebatur idem studio Graecae linguae neglecto, ne doctrina evangelii interiret.

Praetermissis nunc argumentis de authentia, integritate, inspiratione S. S. veniamus jam ad leges illas primarias, ex quibus sana horum librorum interpretatio sit instituenda. — Quarum omnium prima est, quam viri docti praeeperunt his verbis: sensus non inferendus sed efferendus est, et totum te applica ad textum. Nihil magis impedit, quo minus cum auctore interpretando consentias, quam si pro arbitrio et animo certis quibusdam opinionibus ante occupato interpretans irae et studio indulgeas. Valeat ergo regula illa Ernestiana, solum grammaticam interpretationem evidentem satis ac certam esse, multo magis, quam quae a dogmaticis rationibus ducatur. Item Melanchthon contra illos, qui traderent, quatuor S. S. esse sensus literalem, tropologicum, allegoricum, anagogicum et singulos versus quadrifariam interpretarentur, rectissime monuit, unam quandam certam et simplicem ubique quaerendam esse sententiam juxta praecepta grammaticae, dialecticae, rhetoricae. Id autem non ita intelligi volumus, ut dicamus, ad S. S. legendam animum afferendum esse vacuum, instar tabulae rasae, vel S. S. interpretationem haud differre a quaque alia, sed potius persuasissimum nobis est, illum solum recte interpretari illam posse, qui credat, veram a Deo ipso revelatam religionis doctrinam in libris, quos dicunt sacros, contineri.

Sit igitur in universum interpretatio ea, quam dicunt V. D. panharmonicam, quae id agit ut, omnibus interpretandi adjumentis summa cum fide et animi integritate adhibitis, sensus efferatur, qui cum veritate ipsa optime consentiat. Argumentum revelatae per Christum religionis, quae S. S. continetur, eo rectius percipitur, quo magis illud cum variis Jesu Christi ipsius dictis inter se invicem et cum omnibus, quae omnium temporum consensus vera certaue esse docet, congruat. Est illa igitur summae fidei et sanctitatis lex atque regula, qua interpretatur. Dividimus autem interpretationem, quam diximus panharmonicam, in philologicam, quae grammaticam et psychologiam, et theologiam, quae historicam et religiosam (sit venia verbo) complectitur. Illa sequitur accuratissime linguae leges, quod verissime praecipit Melanchthon his verbis: non potest S. S. intelligi theologice, nisi ante sit intellecta grammaticae, itemque Lutherus: certam sensus intelligentiam esse ab sola scientia verborum. Altera autem illa, quam vocavi psychologiam, interpretandi ratio, id agit maxime, ut a quibus is, quicumque scripsit librum, scribendi cogitandique initis profectus scripserit ea, quae scripsit, quoad ejus fieri possit, exploret primum diligentissime, deinde vero, explorata hac scribentis quasi propria natura eidem sese accommodet ipsum quam possit accuratissime, neque nisi ipsa ex ea scribentis natura fideliter perspecta suam interpretandi consuetudinem moderetur atque temperet.

Nihil tamen fere, quas sic primum posui, librorum sacrorum interpretationis rationes praestabiliunt nisi necessarias perfectae illius consummataeque, panharmonicam appello, condiciones. Etenim praeter has isti ipsi libri ob summam illam, quam habuerunt hucusque et habebunt semper tam in universam omnium populorum historiam, quam in rerum sacrarum constitutiones vim auctoritatemque, necessario historicam quoque interpretationem flagitant et religiosam i. e. eam, qua interpretatur nisi de eorum, quae interpretaturus est, fide ac virtute persuasissimus nihil interpretetur, sic ut ea persuasionis fide ductus facile, quid verum sit, inveniat. Atque initium quidem justo, quem desideramus, veracique S. S. interpreti faciendum est istine, ut sibi persuadeat, omnium S. S. librorum continuam quandam esse seriem

integrumque ordinem, neque omnes veritatis numeros absolvi, nisi suus cuique libro locus et ordo constiterit. Quod ubi eorum librorum interpres, qua par est fide, animo informaverit, plane necessarium est, ut idem ille, qui per ipsos libros continuitatis quasi spiritus etiam per singula interpretationis momenta regnet, ita ut singula cum universis conjuncta recte eruantur. In locis, quibus dubium inest, dijudicet analogia, quam vocant scripturae vel fidei (scriptura scripturae interpres), quae est in summa religionis regula et lege, evidenter in scriptura tradita, et ad quam omnia referenda sunt, ne cum ea pugnet quidquam, sed ut cum ea consentiant omnia, ita tamen ut summa pervestigandi credendique libertas nullo modo coerceatur.

His quas proposuimus interpretandi legibus obstricti ad explicandos singulos S. S. libros adimus sic, ut, priusquam ad interpretationem ipsam accedamus, libri unius cujusque praemitamus argumenta, ut rerum ordo et nexus, quantum fieri id possit perspicue, intelligatur; simul uniuscujusque auctoris doctrinae summa erit brevibus explananda. Ratio, qua ita tractatum velimus, haec est.

Initium facimus a loco epistolae Pauli ad Romanos V, 1—11. Doctrinae Paulinae fundamentum est, quod Apostolus separat accuratissime tempora Christo priora τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, ἡ βασιλεία τοῦ θανάτου, quorum summa est ἡ ἐπαγγελία, et tempora post evangelium per Christum revelatum τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἡ βασιλεία τῆς ζωῆς. Genus humanum peccato perniciosi obnoxium, se ipsum ab hac miserrima conditione liberandi et legi divinae obtemperandi impotens erat; huic Deus benignissimus ab omni aeternitate per filium suum unigenitum a poena ejus redimendi consilio capto, hoc tempore redemptionem illam sub poenitentiae et justificantis fidei conditione re vera obtulit, mera gratia commotus, neque ulla ratione habita in merita hominum, quorum mentes illuminat, instaurat, consecrat, per Spiritum suum sanctum ducit, regit, gubernat eosque ita Christo tanquam membra corpori arctissime conjungit. Sola generis humani salus posita est in redemptione illa vere perfecta. Ita rerum historia dividitur in partes duas majores 1) tempus, ubi homines salute carent, omnes peccant ideoque poenae divinae sunt obnoxii, πᾶς ὁ κόσμος ἑπόδικος τῷ θεῷ; redemptionis desiderium tenet eos. 2) tempus, quo salus obfertur, objective ὁ λόγος τῆς καταλλαγῆς, subjective, ἡ δικαιοσύνη ἐκ πίστεως.

Epistolae ad Romanos argumentum: sunt totius epistolae partes quattuor.

I. *Exordium*: Cap. I, v. 1—15. Continet inscriptionem et salutationem insignem tum sententiarum et sermonis quadam ubertate et copia, tum sensu quodam altiore et affectu, quo beneficii divini, munere apostolico sibi demandato in se collati, magnitudinem declarat, simulque in excelsum eorum, quae sequuntur argumentum, summam per Christum partam salutem, lectorum animos praeparat auctor. His addit captationem quandam benevolentiae, laudans eorum fidem et in religione constantiam, suum erga eos studium, in primis vero ardentissimum, quo flagrabat, eos videndi doctrinaeque salutaris iis impertiendae desiderium tertans atque confirmans.

II. *Pars dogmatica*. Cap. I, v. 16.—Cap. XI. Sectione hujus partis priore ostenditur salutis per Christum partae necessitas ita, ut ad omnes homines illa pertineat, et primum quidem ratione istius salutis ipsa proposita; per evangelium enim nova aperitur immunitatem a poenis sempiternamque felicitatem a Deo promissam adipiscendi via. Efficitur id per so- lam in Christo fidem, si quis peccatorum et pravitatis sinceram poenitentiam et condonationis intimum desiderium vere sentiat. Cap. I, 16—Cap. V.

1) Demonstratur salutem illam necessariam esse omnibus hominibus ex eo, quod omnibus hominibus peccato obnoxiiis poena timenda sit et simul quidem Judæis et Græcis Gentilibus, quibus universum hominum genus complectitur Apostolus. Gentiles, quamquam verum Deum unicum cognoscendi via patefacta erat, se converterunt tamen ad vanum deorum commentitiorum cultum et hoc modo in maximam perniciem inciderunt. Judæi putant se jam benevolentiae divinae participes, quod legem divinam habeant, cui perversae opinioni occurrens Apostolus proponit sententiam, benevolentiam Dei non sequi ex legis sola cognitione et possessione, sed si quis eam re vera expleat, ei Deum esse propitium. Judæi autem legem non expleant, ergo sunt illi Gentilibus pares et universus mundus Deo iudice in culpa. Cap. I. v. 16 — Cap. III. v. 20.

2) Itaque novam ad felicitatem hujus et futurae vitae viam atque rationem pronuntiat Apostolus, a qua sola Judæis Gentilibusque certam salutis spem omnibus esse repetendam, scilicet justificationem coram Deo ex fide, in qua omne ponitur momentum, operum auctoritate prorsus negata. Cap. III. v. 21. — IV. v. 1 — 25.

3) Proponuntur salutis illius per Christum partae saluberrimi fructus, quae ut magis conspicua fiat, comparatur cum miseria illa, quae per primum hominem omnibus posteris inciderit. Cap. V.

*Sectio altera.* Refelluntur, quae forte a quopiam Apostolo contra ea, quae hucusque proposuerat, moneri possent Cap. VI. et VII. quod ansam praebet, auctori iterum ad novam illam Christianorum felicem condicionem, cujus magnitudinem et majestatem luculentissime describit, respiciendi; simul id agit, ut legis vera natura, quae divina est, recte intelligatur, neve falsa ex praemissis colligantur. Non fuisse legem, quae homini perniciem attulerit, sed potius libidinis praevalentissimam vim, quae peccato obtemperet, peccatum ipsum, quod ad omnia mala hominem instiget, quod impediatur, quo minus legem divinam expleat, et deo virtutisque serviat. Haec miserrima conditio per Christum sublata est, et sibi venia opus esse persenserunt omnes. Cap. VIII.

Sic doctrina de redemptione per Christum perfecta ad finem perducitur; exposuit Apostolus, qua ratione illa per Christum facta sit, neque solum fructus ejus laetissimos explanavit, sed etiam manifeste pronuntiavit, quo modo homo illos percipere et possit et debeat.

*Sectio tertia.* Consolatur Apostolus populares suos Judæos, quod per Evangelium non solum foedus illud per Moysen cum populo Judaico facto tollatur, sed etiam Judæi in nova salutis ratione Gentilibus postponantur Cap. IX — X. Postremo spem pronuntiat laetam, fore ut universus populus Judaicus ad Christianam salutem perventurus sit. Cap. XI.

III. *Pars paraenetica.* Cap. XII — XV. vers. 13. Evangelii igitur doctrina accuratissime ad finem perducta i. e. Christianae salutis necessitate, magnitudine, praestantia explanata et ita non solum in universum, quae Christianae fidei summa sit, constitutis, sed etiam iis ipsis Christianis, qui Romae erant, denuo excitatis et confirmatis, transit Apostolus, ut solet in omnibus suis epistolis, ad adhortationes, quae ad vitae ipsius rationem pertineant, et ita quidem, ut illae ex doctrina de fide, quam priore parte exposuerat, colligantur. Sunt illae partim universae, sicut re ipsa ex doctrinae illius propositionibus sequuntur, partim quae peculiarem ecclesiae Romanae conditionem spectent.

IV. *Epilogus seu peroratio:* Cap. XV, v. 14 — Cap. XVI, v. 27. Primum confitetur Apostolus, sibi esse persuasum, fratres Romanos et ipsos esse plenos verae caritatis, omnisque cognitionis sacrae repletos, ut etiam in vicem se admonerent; paulo audacius ipsum

scripsisse ratione habita muneris illius sibi mandati, ut laetissimam de regno coelesti doctrinam administraret, lectorum animos advertens ad id, quod jam praestiterit ipse vel potius quod Christus praestiterit per se. Desiderio eos conveniendi jam multis ab annis se flagrare confirmat, sperare se, fore ut transeundo in Hispaniam eos videat. Hierosolyma profecturus ad egenos, qui ibi essent, Christianos sublevandos, hortatur lectores, ut in precibus pro se ad Deum fundendis secum concertent, ut periculis sibi imminentibus eripiantur. Phoebe, quae epistolam redderet, fratribus, ut benigne eam exciperent, commendata, multisque salutationibus adjectis, finem facit scribendi doxologia praclarissima addita.

*Interpretatio.* Cap. V, vv. 1—11. Rerum ordine supra jam exposito transeamus statim ad capituli hujus prioris sectionis interpretationem, qua Apostolus fructus, quorum per Christum, unicum verae salutis auctorem, in primis morte ejus piatoria, participes fiamus, describit.

V. 1—2. Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως, εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν θεὸν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῆς πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ἣ ἑστήκαμεν καὶ κενώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ.

Justificati ergo ex fide pacem habemus cum Deo per domium nostrum Jesum Christum, per quem etiam aditum accipimus propter fidem ad hanc gratiam, in qua perstitimus et gloriamur propter spem vitae beatissimae, qua Deus ipse fruitur, percipiendae.

V. 1—2. δικαιωθέντες; δίκαιος, δικαιοῦν, δικαιοσύνη vocabula sunt maximi momenti, in quibus totius epistolae cardo versatur. δίκαιος adjectivum denotat: rectus, justus, probus, pius de hominibus; de Deo, qui est virtutis perfectae et omnibus numeris absolutus, peccati expertus. Rom. 3, 26. 1 Joh. 2, 29. δικαιοῦν ad judicem translatum, innocentis causam tueri, a poena liberare pronuntiando innocentiam ejus, insentem declarare, et ut talem tractare, passive: absolvi perf. culpavacare. Matth. 2, 37. 1 Cor. 4, 4. talem aliquem agnoscere, qualis esse debet, Luc. 7, 29. probum, pium aliquem declarare et ut talem tractare, favore et beneficiis ornare, peccata condonare et spem felicitatis futurae largiri, hoc sensu in nostra epistola semper. δικαιοσύνη, ea condicio, qua quis rectus, probus cet. sit. Additur loco 1, 17, qui locus quasi thesim totius demonstrationis continet, τοῦ θεοῦ, genit. object. justitia hominis iudice Deo, i. e. ea condicio, qua homo legem divinam ex pleat, ideoque benevolentia Dei dignus et immunitatis a peccatorum poenis certus fiat. οὖν, ergo, ita annectit, ut ex hucusque propositis colligatur. ἐκ πίστεως, eam rationem indicat, qua ad δικαιοσύνην illam perveniamus; πίστις, fides in univers. Tit. 17, 31. quae habetur alicui personae vel rei. Phil. 1, 27. fides, quae habetur doctrinae Jesu Christi per se. Jac. 2, 14. metonym. Doctrina fidem postulans, de doctrina Jesu, quippe quae, ut generis humani servatorem eum agnoscas et dicta ejus audias et sequaris, postulat. Ephes. 4, 5. fiducia in aliquo collocata, in Deo Hebr. 6, 1. in Jesu, is erga eum animus, quo et velle et posse eum opem ferre laboranti mihi non dubito. Matth. 8, 10. Luc. 5, 20. in morte ejus hominum peccata expiante. Rom. 3, 15. in hominum servatore i. e. is erga eum animus, quo illi σωτήρα generis humani a Deo esse constitutum sese profitenti confidens ita te applicas, ut nomen non solum ejus profitearis, sed totus etiam ab ejus nutu pendeas, animi sensa, studia, judicia, spem et facta tua ad doctrinam ejus ut exemplar componendo, Deum tibi eo auctore peccata condonaturum esse certissima persuasio, nulla tuorum ipsius meritorum habita ratione. Haec vocis notio praevalet apud Apostolum nostrum. Qua doctrina autem tantum abest, ut Ap. veram virtutem tollat, ut profundissimam verissimamque cogitationem pronuntiet: hominis virtutem semper permanere

imperfectam ipsumque procul abesse ab eo, quod expetendum sit summo studio; agnoscendo demum suam ipsius vitiositatem summamque Dei perfectionem, intelligere eum quanti legis divinae sanctitas sit aestimanda, unde sequitur, ut animi summa modestia et submissione repleatur, quae suae indignitatis conscia coram Deo obmutescit, ut non amplius ex propriis suis meritis justificationem exspectet, sed a sola Dei gratia. Ea ipsa re homines ex summa morum pravitate vindicantur virtutisque verae redimuntur. Hoc est fundamentum doctrinae Paulinae de fide, et quis est, qui aeternam ejus veritatem dignitatemque neget! εἰρήνην, pax, status tranquillus reipublicae Luc. 14, 32. securitas Luc. 11, 22. concordia Rom. 14, 17. condicio hominis, qui est animo tranquillo et forti, Joh. 16, 33; in formulis usitatis in timidorum animis erigendis Marc. 3, 34; felicitas, quam apprecatur aliquis alicui, in salutandi formulis sub initiis epistolarum; hoc loco: laeta hominis condicio, qui Dei sibi propitii et bene sibi volentis conscius, non nisi optima quaeque ab eo sperat, oppositum τῇ ὀργῇ; ἔχομεν habemus pacem cum Deo; legunt alii ἔχομεν, ut sensus sit: teneamus, quod tamen toti Apostoli propositioni repugnat. διὰ κ. τ. λ. Christo intercedente haec pax nobis conciliatur; δι' οὗ καὶ, gradationem continent meritorum J. Chr. significatur, sequi aliquid, quod ad priora accedat. προσαγωγήν, potestas accedendi, aditus et quidem εἰς τὴν χάριν ταύτην, ad summum Dei nobis impertitum beneficium, quo non solum a timore et miseria liberati sumus, quatenus διὰ παρὰ τ. θ. et εἰρήνην π. τ. θ. habemus, sed etiam omnibus divini amoris documentis fruimur, consolamur, laetamur. χάρις, gratia i. e. venustas, suavitas — verborum Luc. 4, 22. Ephes. 4, 29. favor, benevolentia, qua fruitur aliquis ab hominibus, Luc. 2, 52. gratia Dei, benevolentia in homines Luc. 1, 30. gratia, quam exhibuit Deus nobis per Christum. Gal. 1, 6. venia peccatorum et spes felicitatis olim futurae. Rom. 5, 2. De beneficiis per Christum oblatis, Joh. 1, 14. 16. 17. de beneficio, quod est in munere Apostolico conferendo. Rom. 1, 14. 12, 3. τῇ πίστει, dativus instrumenti; ἐν ᾧ ref. ad χάριν, non ad πίστιν; ἐστήκαμεν, qua perfuimur. καυχόμεθα; καυχᾶσθαι, gloriari, superbire opponitur ineptis Judaeorum gloriationibus, licet nobis gloriari. ἐπ' ἐλπίδι. ἐπὶ c. d. causam indicat, spei causa. ἐλπίς. univers. spes v. 4 et 5. spes vitae et felicitatis sempiternae. Rom. 15, 4. Gal. 5, 5. metonym. auctor spei Colos. 1, 27. 1 Tim. 1, 1. τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, summa Dei perfectio et beatitas, qua omnia bona semper possidet iisque fruitur. ὁ μακάριος 1 Tim. 1, 11. 6, 15. cujus pios quondam participes futuros esse Apostolus promittit. δόξα, laus, gloria, honor, propr. Luc. 14, 10. Joh. 8, 54. meton. causa gloriandi, auctor gloriae. Luc. 2, 32. majestas, omnia, quae sunt in aliquo laude digna. Act. 7, 2; summa in Deo potentia, Joh. 11, 40. dignitas summa et condicio beatissima, Marc. 10, 37. Luc. 24, 26. splendor, quo circumdatur aliquis. Matth. 6, 29. metaph. praestantia. 1 Cor. 15, 43.

V. 3—5. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχόμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες, ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα, ἡ δὲ ἐλπίς οὐ καταισχύνει· ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχεται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν.

At non solum hoc, sed gloriamur etiam in calamitatibus probe scientes, calamitatem efficere constantiam, constantiam autem probitatem, probitatem autem spem; spes autem non fallit, amor enim Dei effusus animis nostris inest per Spiritum sanctum nobis datum. Addit Ap. felicitatis Christianae tertiam gradationem, sensus est: Christiani non solum fruuntur beatissima spe in tempus futurum, sed licet iis etiam in calamitatibus gloriari i. e. dum alioquin calamitates hominum animos affligunt, tanquam insignioris felicitatis adminicula eas

intueri; perferendis calamitatibus constantia exercetur, ex qua sequitur probatio et inde spes, quam expletum iri certissime testatur nobis caritas Dei.

V. 3. οὐ μόνον δὲ, formula gradationis Paulo solemnis, quin immo, quod majus est; ἐπομονήν, non tam patientia, per quam mala quaevis patientes toleramus, quam constantia in tuenda ea re, propter quam patimur.

V. 4. δοκιμὴν, non active hoc loco, sicut apud classicos scriptores, exploratio, sed potius id, quod ex exploratione sequitur, indoles probata, probitas spectata, calamitatibus tentata atque probata animi firmitas. ἐλπίδα, spes, fore ut Deus studia nostra agnoscat et praemiis afficiat, quorum summa est δόξα. ἡ δὲ ἐλπίς οὐ καταισκύνει, verba praeclarissima maximique momenti: spes Christianorum in Dei promissis collocata pudore non afficit, dedecori non est i. e. non fallit.

V. 5. Indicant quae sequuntur causam, cur spes illa non fallat, ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, amor Dei erga nos; gen. subj. hoc loco esse, ceteris praetermissis, ex versu octavo plane intelligitur. ἐκκέχεται, effusus est, inest notio amplitudinis; ista spes eo laetior est, quo certius nobis est persuasum de divini amoris magnitudine. ἐν ταῖς καρδίαις, ut apud Homerum ἐν κρητῆρι de vino infuso, non de motu, sed de quiete. διὰ πνεύματος ἁγίου, per Spiritum divinum ipsum, qui per Christum credentibus impertitur et a quo ducuntur, ad veram vitae sanctitatem.

V. 6—8. Ἐτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίων τις ἀποδανείτῃ ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποδανεῖν συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ θεὸς, ὅτι, ἐτι ἀμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε.

Nobis adhuc imbecillibus Christus opportuno tempore pro nobis mortuus est. Vix enim pro justo quisquam morietur, pro bono enim fortasse tamen mori sustinebit. Ostendit autem Deus luculentissime suum amorem, quod nobis adhuc peccato indulgentibus pro nobis mortuus est. Accuratiores divini erga nos amoris descriptio; apparuit ille luculentissime in eo, quod Chr. pro nobis adhuc peccato indulgentibus mortuus est.

V. 6. ἀσθενῶν; ἀσθενεῖς, inopes, infirmi, imbecilles, hoc loco: summa miseria afflicti, salutis expertes; κατὰ καιρὸν, non statuto tempore, sed potius tempore opportuno; Deus peccatorum hominum causa irascebatur, hominibus instabat mors et perniciēs, ergo opportuno tempore Christus mortuus est, eosque a poenis illis liberavit. ὑπὲρ, pro i. e. in commodum eorum; ἀσεβεῖς, impii, impios autem vocat Ap. homines, ratione habita mortis Jesu salutaris, ut merita ejus illustret. ἀσθενεῖς, ratione habita condicionis miserae ante Christi adventum, ita ut duo enunciationis membra accuratissime cohaereant et illud hoc optime aequet.

V. 7. γὰρ ὑπὲρ δικαίων, vix moritur aliquis pro homine ea de causa, quia justus est, quanto minus, sicut Chrisus pro hominibus mortuus est, quia peccatores sunt. γὰρ, superiora illustrat atque confirmat, sicut quoque in altera versus parte; ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ, pro bono viro quisquam fortasse mori sustinebit. Ab antiquissimis jam temporibus usque ad nostra de hujus versus sensu VV. dd. inter se dissentiunt, ut specimina quoque curiosae prostent interpretationis. Ex innumeris repudiamus eos, qui δικαίων et ἀγαθοῦ in genere neutro posita esse dicunt, quod ab ordine rerum plane abhorreere nemo est, qui non intelligat. Duas notiones sibi oppositas voluisse Ap. manifestum est, itaque plerique δικαίων interpretantur de justo, probato viro, ἀγαθοῦ, de benefico, idque nobis arrideret, si demonstrari posset ἀγαθῶν hanc denotatioem inesse, quod fieri non poterit. Assentimur igitur doctissimo hujus episto-

lae commentatori Kællnero Gættingensi, qui locum ita explicat, et ut nobis quidem videtur, simplicissime maximeque perspicue: pro omnibus numeris probo viro quisquam moriatur, vix pro aliquo ea de caussa, quia justus est, denotatione Ap. solita, quanto minus autem morietur quisquam pro hominibus ea de caussa, quia peccatores sunt, quod Christus fecit.

V. 8. Explicat accuratius auctor, quo sensu vv. 6 et 7. Christi mortem allegaverit, summum id esse divini erga nos amoris documentum; *συνίστησι*, conspicuum reddit; *ἐτι αμαρτωλῶν ὄντων*, quum non justus, non bonus, sed impius essemus, unde patet amoris divini magnitudo.

V. 9—11. Πολλῶ ὄν μᾶλλον, δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς. Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῶ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχόμενοι ἐν τῷ θεῷ διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν.

Multo igitur magis justificati per mortem ejus cruentam servabimur per eum a poena. Si enim, cum inimici essemus Deo, per mortem filii ejus reconciliati sumus, multo magis reconciliati servabimur, quum ille vivit. At non solum, sed gloriantes etiam in Deo per dominum nostrum Jesum Christum, per quem jam reditus in gratiam nobis patefactus est.

Nihil his versibus additur, sed redit Ap. ad primarios salutis per Christum nobis partae fructus, quibus eo certius fruemur, quo manifestius Dei in nos amor in morte J. Chr. apparuit. Cohærent sic: Cum Deus tantum in nos amoris sui documentum dederit, ut Christus pro nobis mortuus sit adhuc peccato indulgentibus, nunc coram Deo i. e. iudice Deo justificatis, ei reconciliatis, ex miserrima illa condicione, qua digni eramus, qui poenis afficeremur, ereptis, cum jam mors J. Chr. tantam felicitatem nobis conciliaverit, majorem etiam exspectare nobis licet, cum vivit ille, ita ut in posterum laetissimam in Deo collocare fiduciam, eo gloriari possimus.

V. 9 ὄν, significat, colligi aliquid ex prioribus; νῦν δικαιωθέντες opponitur τῷ ἐτι αμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν. ὀργή = ἡ μέλλουσα κόλασις, quae imminet cuique, quatenus peccato obnoxius est, ei autem, quem Deus ipse a peccato liberavit, non amplius imminere illa potest, pacem enim habet cum Deo; vocis hujus denotatio anthropopatica originem ducit ex veteri Testamento, plane autem intelligitur ea ex universa Apostoli doctrina; est ira Dei justissimi legislatoris et iudicis, quae inde oritur, quod homines leges ejus sanctissimas non observant, ut necessitas τῆς δικαιοσύνης eo magis diluceat. σωθησόμεθα, immunitate a poenis fruemur; liberari a poena, quae ex ira illa sequatur necesse est, natura est propria τῆς σωτηρίας. Conclusio est ex contrarie oppositis. Nobis adhuc peccato obnoxiiis Christus pro nobis mortuus est, peccantibus contigit amplissimum beneficium, ergo nobis non amplius peccato obnoxiiis, quibus tantum jam condonatum est, neque ira neque poena est timenda. ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ = ζῶντος αὐτοῦ, resuscitatus est e mortuis, respondet quae infra sequuntur: διὰ τοῦ θανάτου. ζωῆ de vita, qua fruimur in his terris degentes. Act. 2. 18. Luc. 16, 25. de illa qua fruitur aliquis e mortuis excitatus; trop: sors felicissima vel condicio hominis qui νεκρὸς τῇ ἀμαρτίᾳ nunc πιστεύων εἰς Χριστὸν ζῆ τῇ δικαιοσύνῃ. Rom. 6, 4. de vita quae manet credentes beatissima. Rom. 5, 17, abstracte: de virium, quae sunt in natura rerum omnium, copia et efficacia Joh. 1, 4. Joh. 1, 4. in ipso erat fons vitae, ratione habita potestatis mortuos in vitam revocandi. Joh. 5, 26. meton. auctor vitae. Joh. 11, 25, 14, 6.

V. 10. ἐχθροὶ, condicionem denotat hominum, qua peccato indulgentes a Deo abalie-



nati sunt. *κατηλλάγημεν*, ex miserrima illa condicione erepti, pace jam fruimur cum Deo et in posterum suis adnumeramur. *καταλλάσσειν*, propr. commutare, reconciliare aliquem cum aliquo; medium, redeo cum aliquo in gratiam, reconciliari me patior cum aliquo.

V. 11. gradatio altera ut supra v. 2. *οὐ μόνον δὲ sc. σωθήσομεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ; καυχόμενοι*, conjungas ita: *οὐ μόνον δὲ sc. καταλλαγέμετες σωθήσομεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ καυχόμενοι ἐν τῷ θεῷ sc. σωθήσομεθα*, ita ut *σωθήσομεθα καταλλαγέμετες* et *σωθήσομεθα καυχόμενοι* sibi opponantur. Ceterum manifestum esse videtur, Apostolum reconciliationem ita voluisse intelligi, sicut jam intellexerunt eam veteres ecclesiae doctores: non quia reconciliavit amavit, sed quia amavit reconciliavit.

Locus alter est Matth. VII, v. 1—12.

Assentimur iis, qui dicunt, orationem a Jesu in monte habitam, quae legitur apud Matthaeum eandem esse cum illa, quae apud Lucam 6, 20 seqq. exstat brevior. In utroque enim auctore hujus orationis est idem exordium, idem rerum ordo, eadem peroratio; ac praeterea Jesus post habitam orationem se contulit Capharnaum servumque centurionis sanavit Matth. 8. Luc. 7. Quod si per se incredibile est, eadem praecepta Jesum bis pronuntiasset, praeterea statui oporteret, post repetitam illam plane accidisse, quae acciderant, quum primum habitata illa esset. Habuit autem Jesus hanc orationem ad sectatores suos, discipulos, apostolos, audiente magna populi multitudine, atque vocabulum *μαθηταὶ* latiore sensu, ut saepius, hoc loco capiendum est. Huc accedit, quod Matthaeus sub orationis finem 7, 8. dicit, *τοὺς ὄχλους* vehementissime fuisse affectos et Lucas 7, 1 omnia haec verba dicta esse *εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ*. Ita tamen ut discipulos arctiore sensu, qui proxime ei adstant, inter dicendum oculis designaret, in praeceptis, quae potissimum ad eos spectarent. Quin autem oratio habitata sit, sicut Matthaeus eam reddit, non est quod dubitemus, forsitan tamen auctor non omnia nobis tradidit, quae Christus hac occasione disseruit, sicut orationes ejus Joannes v. c. colloquium illud cum Nicodemo maximam partem brevibus tantum est complexus, quo fit, ut singula minus arctius inter se cohaerere videantur.

Rerum ordo in universum hic est: Thema: *μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*.

1) Novi regni divini discipulorum indoles, sors, condicio praesens inter mortales. Cap. V, v. 1—16.

2) Ratio veteris et novi foederis, interpretatio legis divinae ratione potissimum habitata Pharisaeorum, qui in verbis nugabantur. V, v. 17—48.

3) Unica vera caussa bonorum operum explanatur exemplis. Cap. VI, v. 1—18.

4) Avocat Christus discipulos suos a nimia terrenarum rerum cura, incitatque eos ad rerum coelestium summum studium. Cap. VI, v. 19—34.

5) Varii generis praecepta, quorum summa versu duodecimo continetur. Cap. 7, v. 1—12.

6) Adhortatur suos, ut quae audierint, teneant et agendo probent.

Continet igitur haec oratio, quam vocant montanam, totius legis Christianae moralis delineationem.

Cap. VII, v. 1—12.

V. 1—5. *Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε. Ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν. Τὶ δὲ βλέπετε τὸ κάρφος, τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῶ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς; ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου Ἄφες,*

ἐκβάλω τὸ κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου καὶ ἰδοῦ, ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου; Ὑποκριτὰ, ἐκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου.

Judicia iniqua, ita ut aliorum facta omnia in malam partem vertantur, Christus hoc loco interdicat atque in primis respexisse videtur eos, qui speciem integritatis pietatisque prae se ferunt, se solos sanctos putant reliquosque improbos omnes judicant.

Nolite alios improbitatis condemnare, ne ipsi damnemini; nam quale iudicium de aliis vos feceritis, idem de vobis fiet, et ad quam mensuram vos metiemini, eadem vobis redditur. Quid autem cernis festucam illam in fratris oculo tui, trabem autem in tuo non animadvertis? Aut quomodo dices fratri tuo: Sine, ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs in oculo tuo inest! Simulator! exime primum trabem ex oculo tuo et tum, ut festucam illam ex oculo fratris tui eximas, dispicies.

V. 1—2. κρίνειν est decernere Apoc. 16, 5. 1 Cor. 7, 37. iudicare sensu forensi de iudice humano, qui sententiam fert Joh. 5, 51. damnare, condemnare Act. 15, 27. de Deo interveniente Jesu Messia 1 Petr. 1, 17. 2 Tim. 4, 1; denotat igitur hoc loco sinistre iudicare, male et ita existimare de aliis, ut eos improbos sceleratosque esse dicas. μὴ κρίνετε, nolite alios improbitatis condemnare; quibus verbis tamen Christum haud quaquam unum quodque iudicium vituperans excipere voluisse docent loci Matth. 23, v. 14 et 33. ἵνα μὴ κριθῆτε, ratione habita ad iudicium divinum. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, κ. τ. λ. locutio proverbialis secundum jus talionis, sicut latinum par pari; similis sententia legitur apud Ciceron. Verr. III, 1. Nam qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? apud Hor. serm. I, 3, 73 seqq. Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum, Postulat, ignoscat verrucis illius. Aequum est, Peccatis veniam poscentem reddere rursus. ἐν ᾧ, proprie in, vel secundum.

V. 3. Progreditur oratio proverbialis ita ut exponatur, quam stultum sit, si quis, qui majoris momenti vitiis ipse laborat, eum, cui minora tantum inhaerent, vituperare vult. Vitia aliena facilius animadvertuntur quam propria. Idem sub alia imagine apud Horat. Serm. I, 3, 25 seqq. Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contra Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi, et apud Senecam de vita beata 27: Papulas observatis alienas obsiti ulceribus. Hoc autem loco oculus tanquam locum, ubi vitium invenitur, consulto allegatum esse, quatenus ille animum agit, intelligitur ex verbis quae infra sequantur τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, quo loco διαβλέψεις non imperative valet, sed futuri instar est. βλέπειν, non cernere, sed adspicere, eodem sensu, quo paullo post κατανοεῖν, animadvertere; κάρφος, festuca, lignum tenue, fragmen ligni aridi tenue, notantur vitia leviora; δοκός, trabs. vitia graviora; futur. ἐρεῖς, continet posse vel licere; πῶς, est indignantis, qua fronte?

V. 4. ἐβάλλειν, exclusa violentiae notione, exire facere, extrahere, eximere ut Matth. 9, 47. sensus: admonendo efficere, ut quis sibi caveat a vitio quodam, ab eoque absteineat; ἄφες, permitte, seq. conjunct. in adhortatt. similiter φέρε; ὑποκριτὰ, qui personam alicujus agit, histrio, simulator, de iis qui pietatem simulant etiam Marc. 7, 6. Luc. 13, 15. διαβλέπειν, διὰ cum vi augendi, ut latinum dignocere, dispicere.

V. 6. Μὴ δότε τὸ ἅγιον τοῖς κνσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἐμπροσθεν τῶν χοίρων μήποτε καταπήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς.

Nolite rem sacram tradere canibus, neve margaritas projicere porcis; ne forte pedibus

suis eas conculcent et conversi vos dilacerent. τὸ ἅγιον; ut duae enunciationis partes sibi respondeant et imago omnibus numeris absoluta appareat, necesse est, per ἅγιον significari aliquid, quod canibus obijci possit; itaque interpretandum erit per carnis victimarum partem, unde simul sequitur, ut verba μὴ δώτε τὸ ἅγιον τοῖς κνὸς plenam exprimant sententiam: nolite dare rem sacram iis qui, quibus detur, indigni sunt, quae sententia per ea quae sequuntur ita amplificatur, ut imago altera simul indicet, quo modo illi indigni se gerant, ratione habita doni et ejus a quo donum obfertur; ita ut στραφέντες ρήξωσιν ὑμᾶς ad χοίρων referantur, donum ab iis non solum contemptui habetur, sed etiam is, qui illud obfert, laeditur; κύνες καὶ χοῖροι, apud antiquos saepius conferuntur. Horat. epist. I, 2, 26. Vixisset canis immundus, vel amica luto sus. II, 2, 75. Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus; cum contentu nominantur 2 Sam. 3, 8, 9. 2 Reg. 8, 13. Matth. 15, 26; canis symbolum est impudentiae, porcus immunditiei. μαργαρίται, margaritae, rei pretiosae imago, apud Orientales saepius ornati sermonis. καταπατεῖν, propr. conculcare pedibus, hoc loco, profanare, contemnere, repudiare. ρῆξαι lacerare de apris, qui contra venatorem conversi eum aggrediuntur. Totius sententiae sensus est: nolite tradere doctrinam divinam hominibus, qui moribus suis ea indignos se reddant, qui monita vestra pertinaciter aspernentur, quique vos ipsos contumeliose tractent; confirmantur haec verbis quae leguntur Matth. 10, 12—14. Εἰσερχόμενοι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, ἀσπάσασθε αὐτήν. Καὶ εἴαν μὲν ἢ ἡ οἰκία ἀξία, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπὶ αὐτήν. εἴαν δὲ μὴ ἢ ἀξία, ἡ εἰρήνη ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω. Καὶ ὅς εἴαν μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ τοὺς λόγους ὑμῶν, ἐξερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκεῖνης, ἐκτινάξατε τὸν κοριοτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν.

V. 7—8. Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν ζητεῖτε, καὶ εὕρησεται κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν. Πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει καὶ ὁ ζητῶν εὕρισκει καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.

Rogate et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis, qui enim rogat, is accipit, et quaerens invenit, et pulsanti aperietur. Solent nexum cum antecedentibus ita instituere, ut propositis summis difficillimisque legis divinae praeceptis, his versibus ostenderetur, unde vis illis satis faciendi repetenda sit; videntur tamen quaedam excidisse. Quaeritur utrum tria hujus enunciationis membra solum ad praecandum, an simul ad alia hominis studia sint referenda, ita ut αἰτεῖν denotaret precari, ζητεῖν, veritatem investigare, κρούειν, investigatam diligenter secum reputare; similitudo autem quae sequitur de nulla re agit quam de precando, unde intelligimus, tres illas formulas ad preces enixissimas spectare; condiciones autem, quae his promissis insunt, leguntur subjective Matth. 21, 22. Καὶ πάντα, ὅσα ἂν αἰτήσητε ἐν τῇ προσευχῇ, πιστεύοντες, λήψετε. et Jacob. 1, 6. Αἰτεῖτω δὲ ἐν πίστει μηδὲν διακρινόμενος. objective Jacob. 4, 3. αἰτεῖτε καὶ οὐ λαμβάνετε διότι κακῶς αἰτεῖσθε, 1 Joh. 5, 14. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ παρρησία ἣν ἔχομεν πρὸς αὐτὸν, ὅτι εἴαν τι αἰτούμεθα κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, ἀκούει ἡμῶν.

V. 9—11. Ἡ τις ἐστὶν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν εἴαν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; καὶ εἴαν ἰχθὺν αἰτήσῃ, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; Εἰ οὖν ὑμεῖς, πονηροὶ ὄντες, οἴδατε δόματα ἀγαθὰ δίδοναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτούσιν αὐτόν.

Aut quis est ex vobis homo, quem si poposcerit filius panem, numquid porriget lapidem ei, et si poposcerit piscem, num ei porriget anguem. Quod si vos bona munera scitis dare liberis vestris, quanto magis pater noster coelestis dabit bona petentibus!

Augetur his verbis spes promissionis; homines mali et Deus sanctissimus conferuntur;

si vel illi liberis suis necessaria ab iis petentibus bona porrigunt, quanto magis benignissimus ille.

V. 9. ἢ, particula est disjunctiva, cui inest vis enumerativa in congerie argumentorum ut saepius v. c. paullo ante v. 4. cap. 16, 26. Rom 3, 1. non interrogativa; τίς ἄνθρωπος, homines in universum Deo oppositi; singula aptissime consentiunt; panis similis est lapidi, piscis serpenti.

V. 11. πονηροὶ, denotat hominum naturam in universum, oppositam Dei naturae perfectissimae, non ut volunt quidam: avari, illiberales; οἴδατε, scitis, complectitur simul posse. ἀγαθὰ, bona, res, quae nobis a Deo et nonnisi a Deo petendae sunt. Confer. Jac. 1, 17. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δῶρημα τέλειον, ἄνωθεν ἐστὶ καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, κ. τ. λ.

V. 12. Πάντα οὖν, ὅσα ἂν θέλητε, ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς· οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται.

Omnia igitur, quaecunque vultis, ut vobis faciant homines, et vos facite illis, haec est summa legis et prophetarum.

His verbis pars orationis didactica finitur, et quae ab initio capituli dicebantur, hac regula universali subsumuntur, ad quod particula οὖν, igitur spectat; desunt forsitan quaedam, quae in ratiocinationis serie desiderantur. νόμος καὶ προφῆται, denotant universum verbi descripti complexum, simulque omnia, quae in eo posita erant instituta; haec brevissima denotatio eo aptior apparet, quia re vera lex et prophetia veteris foederis partes primariae erant.

Sed hic mihi, quantumvis plura etiam interpretandi exempla proferre cupienti, jam propter fines hujusmodi scriptioni natura sua et lege concessos, finis est scribendo imponendus. Atque optamus denique, ut ii, qui in gymnasiis nostris rerum sacrarum institutionem ac disciplinam in se susceperunt, discentium studia maxime ad assiduam non minus diligentem quam piam librorum sacrarum lectionem advertant atque dirigant. Quid enim his potissimum temporibus, quibus heu! tam tristis vereque lugendus est, animorum etiam in rebus gravissimis dissensus, quid, inquam, sanctius certiusque videatur valere ad recuperandam eorundem gratiam et concordiam, quam sempiterna illorum librorum regula ac norma? Hinc omne principium huc refer exitum, ut est apud Horatium in re non admodum absimili.

